



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Tvrriani Societatis Iesv, Aduersùs
Magdeburgenses Centuriatores pro Canonibus
Apostolorum, & Epistolis Decretalibus Pontificum
Apostolicorum, Libri Quinq[ue]**

Torres, Francisco de

Coloniae, 1573

VD16 T 1629

Cap. XIII. De falsa interpretatione, & repugnante Augustini Marlorati in locum epistolae ad Hebraeos de honorabili coniugio in omnibus contra Caelibatum, & in locu[m] epistolae ad Timoth. de viduis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-29685

personarum satis significauit Apostolus, quibus personis de coniugij usu præcipere: sic item in epistola ad Hebræos, vt antè dixi, ex circumstantia quoque conditionis personatum planè significauit, quibus præceptum de matrimonio honestè vtendo scriberet. Rursus beatus Petrus in epistola priore laicis quoque idem, quod Paulus in epistola ad Thessalo. & ad Hebræos, præcipit, quod ex circumstantijs item perspicitur potest: Viri, inquit, similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam coheredibus gratiæ vitæ, vt non impediatur orationes vestræ. Impartiri vasi honorem præcipit, id est, non in passione desiderij & libidinosè, sed temperatè & pudicè cum vxore cõfuescere, cessando scilicet ad tempus ex consensu propter orationem, sicut Paulus Corinthijs præcepit. Cùm ergò similiter propter orationem præcipiat istis princeps Apostolorum, honorem vxoribus impartiri, scilicet abstinendo ab eis ex consensu, nè orationes eorum impediatur, id est, vt vacent orationi, vt Paulus Corinthijs illis præcepit. Paulus verò præcepit illud laicis Corinthijs, vt satis antè demonstraui: siquidem quia nolabant esse continentes, concessit secundum indulgentiam, vt redirent in idipsum, post intermissum causa orationis concubitus, cùm tamen presbyteris & diaconis præcipiat, vt docuimus, esse continetes: ergò & Petrus quoque idipsum non nisi laicis præcepit, siquidem vnus est spiritus, quo vterque scripsit. in presbyteris autem & diaconis non hoc solum per continentiam perpetuam cauetur, nè impediatur eorum orationes, sed nè impediatur ministerium ecclesiæ, ad quod eos in primis omni tempore præstito esse oportet. Sed videamus deinceps, quemadmodum Marloratus, Caluianus minister, locum epistolæ Pauli ad Hebræos, in suis hereticis Cõmentarijs contra Pauli sententiam interpretetur. Idem enim cum eo Luterani centuriatores sentiunt.

De falsa interpretatione & repugnante Augustini Marlorati in locum epistolæ ad Hebræos, de honorabili coniugio in omnibus, contra Celibatum, & in locum epistolæ ad Timoth. de viduis illis, quæ primam fidem negauerunt, & de vera interpretatione vtriusque loci, ex propria virtute scripturarum ducta.

Cap. 14.

Honorabile cõnubium in omnibus, & torus immaculatus. Simplex, inquit, sensus est, nullum esse ordinem, qui à cõiugio prohibeatur. deinde subiicit causam: Nam quod Deus, inquit, generi humano in vniuersum concessit, omnes sine exceptione decet. & subiungit, interpretandi gratia, omnes, inquam, qui coniugio apti sunt, eoque opus habet. Prophetavit hic Marloratus, beneque interpretatus est, nesciens alioqui quid diceret. coniugio enim non sunt in nouo testamèto apti, qui sunt Deo in ministerium eius consecrati, cùm, sicut antè demonstraui, aperte Apo-

Cccc 3 stolus

Tit. 1.

stolus in epistola ad Titum episcopis, presbyteris & diaconis, si vxores habeant, continentes esse præcipiat. Est autem continere, quod Græcè dicitur ἐγκρατῆρ, à voluptate corporis abstinere, vt Aristoteles quoquè vim verbi docuit, nisi quòd ille continentiam naturali prudentia metitur, qua omnè virtutem definit, nos verò prudètia spiritali metimur, quam beatus Pe-

2. Pet. 1.

trus vocat γνῶσις, interpretis vertit scientiam, cùm ait, Subministrare in fide vestra virtutem, in virtute scientiam &c. Qui verò vxoribus, quas prius duxerunt, vti prohibet, postquàm assentientibus vxoribus, ordinati sunt, consequens est, secundùm prudentiam spiritalium, vt etiam prohibeat, postquàm iam sunt ordinati, nouas ducere, si nunquàm habuerant: aut alias, si priores mortuæ sint. siquidem facilius sit vitare consuetudinem cum vxore, quam non habeas, quàm cum vxore, quam habeas. Nec item cõiugio apti sunt, qui votum continentia Deo fecerunt, quod quidem si non liceret facere, aut semèl factum, non esset seruandum, non diceret Apostolus de viduis illis diaconissis adolescentioribus, quæ cùm luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, damnationem eas habere, quia primam fidem irritam fecerunt, quod quidem non posse intelligi de fide baptismi & Christianismo, vt perperàm idem Marlo ratus interpretatur, vt multa alia præteream, quæ mihi non est hîc propositum refellere, ex ipsiis Apostoli verbis satis demonstratur, & in primis ex verbo καταστρηνιάς, quod interpretis Latinus vertit, luxuriari, dicitur enim στρηνιάς, vt veteres Grammatici notârunt, παρὰ τὸ εἰρῆναι καὶ ἀποσπᾶν τὰς ἡνίας ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀλόγων ζώων μάλιστα τῶν ὑπόζυγιων, id est, ab habenis abrumpendis translatae ab animalibus, quæ iugum subeunt. Cùm igitur verbum hoc, quo hîc vsus est

Quam fidem
Paulus à quibus
viduis irritam
factam asserat.

Apostolus, secundùm etymologiam, aliquid moliri significet contra iniectas sibi veluti habenas coniugij cum Christo sponso, constat planè, non posse ad fidem baptismi referri, cùm habenæ ad vinculum potius promissionis pertineant, sicut scriptum est in Prouerb. Fortis laqueus labia proprii oris: quàm ad fidem baptismi, quæ est non promissio, sed credulitas sanctæ Trinitatis, & eorum omnium, quæ credit ecclesia catholica. Cõfirmat autem, quod hæc tenens diximus, beatus Chrysostomus. is enim in homilia ἐσ νεωτέραν χηρεύουσαν, id est, de adolescente vidua, interpretans verbū καταστρηνιάς, quo Paulus est vsus, sic ait, διὰ τούτου γὰρ ἡμῖν τοῦ ῥήματος ἀνίτησαι, ὅτι αἱ τοῦ ἀνδρα ἀπαβαλοῦσαι ἀντ' ἐκείνων ἀρμόττονται τῷ χριστῷ, ἔπειτα δεκνὺς τὴν ἀρμονίαν ταύτην πράνονούσαν καὶ ἐπιεικῆ, τοῦτο τίθησιν, ὅταν γὰρ καταστρηνιάσῃ τοῦ χριστοῦ γαμῆν θέλουσι καθάπερ τινὸς ἀνδρὸς ἐπιεικοῦς καὶ οὐ μετ' ἐξουσίας αὐταῖς κεχηρμένου, ἀλλ' ἐὼντος ἐλευθερία ζῆν. Hoc, inquit, verbo significat in ænigmate, istas, quæ viros amiserunt, pro illis, Christo desponderi, quomodo autem Paulus hoc verbo significaret viduas istas de quibus loquitur, pro viris amissis Christo desponsas esse, nisi hoc ipso verbo significaret Christo sponso, anquàm vinculo quodam alligari, ita

Prouer. 6.

Chrysost. de
viduis illis
apud Paul.
quæ primam
fidem negauerunt.

vt

vt alijs viris alligari non possint? Deindè vt demonstraret, inquit, huius desponsationis lenitatem & æquitatem, ponit hoc, cum luxuriatæ fuerint in Christum, tanquam in virum quendam æquum, & non cum imperio eis vtentem, sed potius liberè eas viuere finentem, nubere volunt. est itaq; viduas istas in Christum luxuriari, secundùm vim trãslationis verbi Greci, vinculum fidei lenè, quo sunt in Christi coniugio liberaliter adstrictæ, velle reuellere. Sed vt Pauli sententiam, de viduis istis, eodẽ Chryso-
 stomo interprete, clariùs adhuc perspiciamus, recitemus Græcè, quæ in proxima homilia *πρὶ μοναχίας* scripsit, interpretans enim accuratè hunc eundẽ Pauli locum, sic ait: *ὁρᾷς ὅτι οὐ τὰς χηρεῦεν βουλομένας ἀλλὰ τὰς γαμήσας προαιρουμένας μετὰ τὸ χηρεῦσαι καλύει ἐκείνος χηρεῦσαι, καὶ εἰς τὸν ἅγιον ἐκείνον κατατάττεσθαι χορὸν, καὶ σφόδρα πειῶν συνετάς, εἰ γὰρ μέλλῃσ φησὶ δευτέρωσι γάμοισ ὀμιλεῖν, μὴ δὲ ἐπαγγείλη χηρείαν, τοῦ γὰρ μὴ δ' ὄλωσ ὑποσχέσθαι τὸ μετὰ τὴν ὑπόσχασιν ἀγνωμονῆσαι πολλῶ χεῖρον ἐστίν. ὡσπερ οὖν τὰς συνεχῆσ συνουσίας ἐπέτρεψεν οὐ νομοθετῶν, ἀλλὰ συγγινώσκων αὐτοῖσ, οὕτω καὶ ἐγκαύθη δι' ἕτερον μείζον κακὸν τὸν δεύτερον γάμον ἐπέταξε, δεκνῦσ ὅτι καὶ τοῦτο συγγνώμησ τῆ τῶν πολλῶν ἀσθενεία συγκαταβαινούσης, ἀσθενείαν δὲ οὐ δυνάμεωσ ἀλλὰ προαιρέσειωσ φημί. καθάπερ γὰρ ἡ παρθένοσ μετὰ τὴν τῆσ παρθενοσ ἐπαγγελίαν διαφθαρέσα μοιχείασ χεῖρον ἐτόλμησεν, οὕτωσ καὶ ἡ χῆρα ἀπαξ ἀπαγγελαμένη, εἴτα πατήσασα τὰσ πρὸσ τὸν θεὸν συνθήκασ, ἀπὸ τῆν ἁμαρτίαν πεσῆται, καὶ τῆσ αὐτῆσ ἐστὶ τιμωρίασ ὑπεύθυνοσ. εἰ δὲ χρεῖτε καὶ θαυμαζὸν εἶπῆν, τάχα καὶ πολλῶ μείζονοσ, οὐ γὰρ ἐστίν ἴσοσ ὅπερ καὶ ἀρχόμενοσ εἴπωσ, τὴν πεπειραμένην τοῖσ αὐτοῖσ πάλιν περιπέσειν πειρασμοῖσ. Interpretemur nos eisdem verbis: Vi-
 des, inquit, quomodò non eas, quæ viduæ esse volunt, sed quæ nubere volunt, postquàm viduæ factæ sunt, prohibet Paulus viduas esse, & in chorũ illum sanctum cooptari, idẽ prudentissimo consilio? Si enim, inquit, vis iterũ nubere, nè promittas viduitatem, siquidem non præstare quod promiseris, longè peius est, quàm omninò non promittere. Vt igitur Apostolus coniugibus permisit frequentes coitus, non quòd hanc legem eis ferret, sed quòd hoc indulgeret, sic hìc propter alterum maius malum secundas nuptias imperauit, docens esse hoc veniæ accommodatæ ad infirmitatem multorum, infirmitatem dico, non potentia, sed voluntatis. vt enim virgo, si postquàm virginatatem promisit, violari se permittat, crimẽ adulterio grauius ausa sit: sic vidua, quæ semel promisit, & postea pactionem cum Deo factam conculcauerit, in peccatum incidet: & eodem supplicio tenebitur. immò si dicendum est, quod mirum videatur, fortasè grauiore, non enim par est & æquale, vt principio dixi, expertam virum, & non expertam, in easdem tentationes lapsas esse. Deindè Apostolica constitutio, loquens de huiusmodi viduis, libro tertio capit. 1. scelus, dicit eas committere, quia post promissionem ærũ nubant. Itaq; *ἐπαγγελίαν* vocauit,*

cavit, quam Paulus fidem, de eisdem viduis loquens. constat autem, fidem eorum, quæ credimus, quam in baptismo Deus donat, non esse, vt dixi, p-
missionem, sed habitum credulitatis à Deo infusæ.

cc Addit deindè idem Marloratus: Nè quis stultè imaginaretur, coniugiũ
cc vulgo duntaxat hominum permitti, qui autem in ecclesia excellunt, debe-
cc re eos abstinere, omnem exceptionem tollit Apostolus: neque tantum do-
cc cet per indulgentiam concedi, vt quidam cauillantur, sed honore dignum
cc esse asserit. postea subiungit veluti epiphonema tali authore dignum, hac
cc tam præcisa denunciatione non fuisse territos, qui matrimonij prohibiti-
cc onem inuexerunt mundo, plusquam mirum est: Haftenus ille. Sic itaq; in-
terpretatur falsus hic propheta, quod Paulus dixit: Honorabile connubiũ
in omnibus. quasi nihil aliud Apostolus voluerit, quam asserere, laude di-
gnum esse in omnibus ordinibus hominum, matrimonium: atque ita ver-
bum, quod deest in Græco, ipse sua interpretatione supplet. sic enim ver-
tit: Honorabile est in omnibus coniugium. sed si ita interpretandũ esse pu-
tauit, necessarium est, vt idem verbum, est, intelligatur in eo, quod sequi-
tur, coniunctione &, interposita. vt sit, & torus est immaculatus, in omni-
bus scilicet. hoc enim repetendum est *ἐπι κωνῆς*, quæ est figura, in Paulo, im-
pedi in omni scriptura sancta, frequens. Dicit ergò nũc Marloratus, & Mag-
deburgenfes, qui cum eo faciunt, an sit in omnibus coniugibus torus im-
maculatus, etiam in adulteris maritis? quod si nõ est, malè igitur interpre-
tatus est Marloratus. non enim supplendum est verbum, est. Dicit rursus,
an vbi torus est pollutus, vt in adulteris, ibi sit etiam connubium *τίμιον*, id
est, in honore, an potius in probro & dedecore atq; infamia? quis hoc sanz
mentis neget? nõ ergò hoc Paulus dicit, quod pessimus interpres facit eum
dicere, scilicet Honorabile est coniugium in omnibus: nec est præcisa de-
nunciatio, vt Marloratus ait, qui miratur, nõ fuisse nos ea territos. quin
potius præceptum est, supplendumq; verbo, Esto, aut Sit, vt dicat præci-
piens, Honorabile sit coniugium in omnibus, & sit item torus immacula-
tus in omnibus: id est, Præcipio, vt omnes qui in coniugio sunt, habeant il-
lud in honore, & non in passione desiderij, sicut & gètes, quæ ignorant De-
um, vt in epistola ad Theffalonicenses scripsit: & nè maculent torum con-
iugalem scortationibus & adulterijs, sicut in eodem quoq; loco epistolæ
ad Theffal. præcepit. Vt autem hoc præceptum ij, ad quos scribit, faciant,
subiungit Apostolus minas supplicij, inquiens: Fornicatores enim & adul-
teros iudicabit Deus. Itaq; quod iste author dixit, neq; tantum docet Apo-
stolus per indulgentiam concedi coniugium, vt quidam cauillantur, sed
honore dignum esse asserit, falsum est: non enim fuit Apostolo propositũ
laudare hĩc matrimonium, quod nusquam nisi tãquam minus bonum, ne
ijs quidem, quibus licet, concedit: Vndè contra eos, qui idem, quod nunc
Marloratus & Magdeburgenses cum cæteris omnibus Luteranis, ante 1200.
annos sentiebant, eruditissimè disputans idem Sixtus III. & explanans il-
lud

*Absurda &
repugnans loci
de honorabili
coniugio in
omnibus, &
toro immacu-
lato, interpre-
tatio.*

1. Theff. 4.

Iud Apostoli, Qui sine vxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, quomodò placeat Deo, & quæ sequuntur: Interrogo te, inquit, cui potissimùm place- *S. Sixtus 3. in lib. de castitas*
 re studeas, vxori, an Deo? si vxori, videberis Deo præposuisse luxuriam: si Deo, vxorem habere quomodò poteris, quam qui habuerit, non ità, vt ce- *te.*
 lebs, Deo placere posse, Apostolo dicente, sentitur, si & vxori & Deo, ineptà & difficilem, & non secundùm Apostoli definitionem; videberis protulisse sententiam: & te cælibi præposuisse, qui Deo tantùm placet, si tibi, & Deo & vxori similiter placere, possibile sit, nihil proderit, non accepisse vxorè, si accepisse nihil oberit. nihil enim obesse poterit, si Deo tam vxoratus quàm cælebs placebit. & paulò pòst: Nam illam sententiam, quam ignorantibus proferre moris est, Qui nubit, benè facit: & qui non nubit, melius facit, nusquam Apostolū dixisse inuenies. Sed neq; fieri poterat, vt alibi nubentè laudaret, qui dixerat alio in loco, Bonum est homini, mulierem nō tangere. *I. Cor. 7.*
 Dic planè benefacere, qui luxuriosam filiam nuptū tradiderit, nè quid deterius exerceat. pater ergò laude dignus est, qui filix incōtinentix prouiderit, quomodò & Apostoli erga incontinentes laudanda prouidentia est. Illi verò laudandi non sunt, quatenus, quod erat melius, perdiderunt. Deindè subiungit: Sic nobis intelligenda est scriptura, nè alicubi videatur sibi contraria. Nusquam enim inuenies Apostolum spontè, & non aliqua causa vel necessitate cogente, nuptias indulisse. quod perfacile pbare possem, nisi longum esset, per omnes eius epistolas currere, quibus magis ingerit, in præsentī tempore mortificari nos cum Christo debere, quàm carnis expetere voluptatem. Hactenùs san. Sixtus martyr. Et hactenùs respõsum sit propter Magd. idem sentientes, ad locū Apostoli ex epistola ad Hebræos, què nobis Heerbrādus Tubingēsis doctor obiecit: & què Marlortus minister Caluinianus corruptè interpretatus est. illud tamen hoc loco vice scholij addam, nè quis falsò existimet, quæ ex sancto Sixto allata nūc sunt, ad repræhensionem coniugij pertinere. absit: non enim qui vxorè ducit, si ei licet, rep̄hendi debet, tametsi, vt S. Athanasius in epistola ad Amum monachum scripsit, parem gratiam non consequitur, consequitur tamen, inquit, aliquam, quippe, qui ferat fructum numeri triginta. Beatus enim, *Hier. Thro. 3*
 ait, qui in iuuentute sua liberum iugum habens, natura ipsa ad gignendos filios vsus est. at his, de quibus loquimur, iugum coniugij nō est liberum, vt ex scriptura demonstraui, idcirco tantum abest, vt gratiam consequantur, conueniatq; eis, quod Paulus etiam de legitimis cōiugibus dixit: Vnusquisq; gratiam siue donum habet, alius sic, alius verò sic, vt potiùs damnationem habeat, quia primam fidem negauerūt: vt de illis viduis duxit, quæ iam ad matrimonium non erant aptæ. *I. Cor. 7.*

*Responsio ad reliqua Heerbrandi Tubingensis doctoris contra Cælibatū:
 & de canone Niceni Concilij, & interpretatione eius, ex synodo Arelatēsi
 ante mille ducentos annos, & ex epistola Basilij. Item de hæresi contra sacrū
 D d d d calibatū*